

Ya
3323



880/32.

2, 113.

TABULA NOTATU DIGNA,
QUAM

M. PAUL CHRISTIA-
NUS HILSCHERUS,

S. S. THEOL. BACCAL. ET DE ECCLESIA QUON-
DAM VETERIS DRESDÆ PASTOR MERITISSIMUS.

IN
SCHOLA VETERIS DRESDÆ
ADFIGENDAM CURAVIT,

IPSAQUE
DISCIPULI
STUDIUM

QUATUOR AVIBUS
GALLO NIMIRUM COTURNICE, NOCTUA ET CORUO,
INDICARE VOLUIT,
NUNC EXPLICATA ET IN LUCEM EDITA

M. FRID. CHRIST. HILSCHERO.

DRESDÆ,
APUD GOTTLÖB, CHRIST. HILSCHERUM BIBLIOPOL, REG.
MDCCLXXXIV.



5. 113.

529

ANNO 1707
M.D.C.C.

M. T. A. L. C. H. R. I. S. T. I. A.

M. U. S. I. C. I. A.

ET DE ...

SCHOLA ...



M. T. A. L. C. H. R. I. S. T. I. A.

...



VIRIS
MAGNIFICIS. NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS.
CONSULTISSIMIS. atque PRUDENTISSIMIS.
INCLYTÆ. REIPUBLICÆ. DRESDENSIS.


DOMINIS.
CONSULIBUS.
SYNDICO.
PRÆTORIBUS.

TOTIQUE. ORDINI. SENATORIO.
GRAVISSIMO,
PATRONIS. SUI. MAXUMIS.
PROMOTORIBUS. ET. FAVORIBUS.
OMNI PIETATIS. HONORIS. AC. OBEDIENTIÆ.
CULTU. AD. URNAM. USQUE. PROSEQUENDIS.

VITAM. LONGÆUAM.
SENECTUTEM. TRANQUILLAM.
VALETUDINIS. PROSPERITATEM.
SALUBERRIMA. CONSILIORUM. AUSPICIA,
FAUSTISSIMOS. MEDIORUM. SUCCESSUS.
LÆTISSIMOS. CONATUUM. EXITUS.
APPRECATUR,
SIMULQUE.
HAS. QUAESCUNQUE. PAGELLAS.
DAT. DICAT. CONSECRAT.
PRÆTEREA.
SE. STUDIAQUE. SUA.
PATROCINIO. IPSORUM.
ENIXISSIME. COMMENDAT.
TANTORUM. NOMINUM.

CULTOR. PERPETUUS.
M. F. C. HILSCHERUS
SS. THEOL. STUD.





Cap. I.

DE

VARIIS STUDII EXCITAMENTIS.

§. I. *Studii excitamentis veteres utebantur variis.* §. II. *ad que maiorum imagines in atriiis.* §. III. *nihiloque minus virorum de republica & praesertim re litteraria optime meritorum effigies in academiis erectae sunt referendae.* §. IV. *Hic mos ad recentiora perduravit tempora.* §. V. *Et tabula praesertim in schola veteris Dresdae adfixa notatu est digna.* §. VI. *Quid huic tabula praebuerit occasionem recensetur.* §. VII. *in dicat illa discipuli studium, quod definitur.* §. VIII. *duplicis methodi diligentiam discipuli excitandi fit mentio.* §. IX. *Cui rei interdum virtutes brutis insita inserviunt.* §. X. *et eandem ob causam aves in tabula pictae sunt nominanda scholastica.*

§. I.

Gentibus priscis nihil fuit antiquius nihilque prius, rationis quidem ductum sequentibus, quam ut liberi, quos aliqua ingenii facultate eminere sentiebant, a prima pueritia artibus erudirentur liberalibus.

) : (2

Et

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

Et ut tenerrimis eorum animis eo penitius discendi amore
morem unaque morum instillarent disciplinam, varia exci-
tamentorum genera excogitarunt. *Diligentiæ præmia*
proponebant omnibus iis, qui ad honestam vitam avide
tendebant, non ignorantes, animos juvenum magis ali-
qua re sensibus grata, quam rigida disciplina capi & ad
virtutes allici posse, Testis est HORATIVS: a)

- - *Pueris olim dant crustula blandi*

Doctores, elementa velint ut discere prima.

Etenim, quod teneræ juventutis intellectus nondum ad-
eo expolitus est, ut proprio Marte illa bona, quæ comi-
tantur virtutem, cognoscere possit, omnino artifici-
um est adhibendum, quo adolescentia in viam virtutis
mature ducatur. Bonæ igitur pulchræque actionis re-
muneratio facile animum honestatis amantem ad virtu-
tis studium invitat. Qua de re CLAUDIANUS ita ca-
nit; b)

- - *Egregios invitant præmia mores.*

Hinc prisæ redeunt artes, & felicibus inde

Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ

Colla levant, opibusque fluens & pauper eodem

Natur ad fructum STVDIO, cum cernat uterque

Quod nec inops jaceat probitas nec inertia surgat

Droitius, - - -

§. II.

Diversæ autem veteribus erant viæ, quibus pueris ad virtu-

a) in Satyr. I. Lib. I.

b) vid. Paneg. I. de laudibus Silliconis.

de studio.

virtutem patefaciebant aditum. Quo respiciunt Majorum signa in atriiis ante oculos posita. Effigiem autem majorum cum suis titulis idcirco in prima aditum parte poni solere, ut eorum virtutes posterius non solum legerent, verum imitarentur, scribit VALERIUS MAXIMUS c.) Tantum quoque hæc imagines apud SENECAM d) potuerunt, ut in hæc verba erumperet: *Quidni ego Magnorum Virorum imagines habeam incitamenta animi?* Neque negandum est, imagines clarissimorum virorum, qui singulari virtutum genere ad honores ascenderunt, & magnam rerum recte gestarum famam reliquerunt, latentes animi gloriæ cupidi igniculos inflammare posse. Quod exemplo Q. MAXIMI & P. SCIPIONIS docemur, qui ipsum & aperte confessi sunt: *cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem fuisse accensum.* e)

§. III.

Imagines certe eruditorum aliorumque optimorum tanquam specula virtutum considerandæ sunt, & exinde ratio commode reddi potest, quam ob rem olim veteres magnum simulacrorum apparatus in Gymnasiis & Academicis f) erigendum & ad fingendum curaverint. Athenienses *Berasi* g) *statuam in aurata lingua publice in Gymnasio*

A 3

c) in Libr. V. c. 8

d) *Epist. LXIV. adde ex M. I. D. SCHREBERI disp. de imaginibus virorum Clarorum Bibliothecarum ornamento. §. XV.*

e) *vid. SALUSTIUM in præf. ad bellum lugurthinum.*

f) *conf. BARON, FIGRELLI. Lib. de statuis veterum & COE-LLI RHODIGINI. Antiquar. Lection. Lib. XXIX, c. XXIV.*

g) *PLINIUS ejus facit mentionem in Libr. VII, Ep. 37.*

Pictura Scholæ Paleo-Dresdensis

nasio ob divinas illius prædictiones collocasse relatum legimus. Gymnasium quod Ptolemaicum h) dicebatur, multis eruditorum ac bene de republica meritum iconibus fuit exornatum. Neque Romani diligentes Græcorum æmuli neglexerunt consuetudinem *Hermas* & *Hermathenas* Mercurii & Minervæ statuas, a quibus Numinibus optimas artes inventas credebant, maxime vero statuas *Apollinis* & *Musarum* erigendi. *CICERO*, *PLUTARCHUS* & *PLINIUS* multitudinem exemplorum suppeditant. Sed nihil est, quod ad nauseam usque veterum allegem monumenta. Hæc pauca hoc loco sufficere arbitror.

§. IV.

Antiquissimus ille mos ad recentiora conservatus est tempora. Scholæ, Gymnasia, templa & Bibliothecæ probe abundant ornamentis picturarum. Modo *Scholarum* fundatores, modo *studiorum* promotores, modo *litterarum* restauratores, modo *disciplinarum* doctores picti inveniuntur. Interdum etiam picturæ *Mythologicas* proponunt *fabulas*, delineantque vel vitia, quæ fugienda vel virtutes, quæ studiose imitandæ sunt. Juvat unum alterumve exemplum in apicium producere. Clarissimus D. *JOH. MICH. DILLHERRUS* i) fertur: *picturam*, quæ *ipsius* refert *imaginem*, *Gymnasio Schleusingæ* dono dedisse, ut aliis virtutum & diligentæ exemplo esset. Schola, quæ *Dresdæ* floret, Cru-

h) *PAUSANIAS* in *Atticis* sive *Lib. 1.*, p. 28. coll. *SCHREBERI* *diff. sup. alleg.* §. II. §. VI.

i) *QUIRIN. Bühlmanns 59stes Tugend-Bild. ubi plura invenies.*

de studio.

Cruciana pulchra ostendit simulacra. Neque a me possum impetrare, quin *Tabulæ Cebetis*, viam ad virtutes colendas monstrantis, quæ in Auditorio clasfis secundæ super fores est suspensa, faciam mentionem, Scholæ dono est data a B. *MERBIZIO*, ut ex verbis huic tabulæ adjectis constat, quæ ita se habent:

IN HONOREM DEI.

COMMODUM. IUVENTUTIS. SCHOLASTICÆ.
TABULAM HANC. POSUIT.

M. JOH. VALENT. MERBIZ. DRESD.
SCHOLÆ. PATRIÆ. CONREGTOR.

ANNO CHRISTI 1682.

§.V.

Filium abrumpere jubeor, ne historiam de imaginibus conficere scholasticis, quam aliis relinquam, videar. Mitto superiora & ad pertractandum me converto argumentum, quod pietas etiam post fata B. *PARENTI* præstanda a me exigit, non eo animo, ut ejus memoriam ad posteros propagare velim, sed potius, ut ejus declarem animum de *pictura quadam singulari, quam anno 1727. Scholæ Palæo-Dresdensi dono obtulit.* Longitudo ejus est sex ulnarum, altitudo vero sesquicubitalis. Dividitur in quatuor sectiones, in quibus singulis depicta conspicitur aliqua avis. Una avis *Gallum* refert, altera *coturnicem*, *Noctuam* tertia, quarta *Corvum*. Quid illæ sibi velint, paucis significaturi sumus verbis, si antea recensuerimus, quid *AUTORI* hujus muneris causæ fuerit, cur ea potissimum pictura scholam donare voluerit.

§.VI.

Quantus in scholas amor B. *PARENTIS* fuerit præterit

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

rit neminem, qui illum noverit. Præterquam quod id arguunt complures res aliæ, etiam hæc pictura potest declarare. Vix enim Clarissimus Dom M. ZIGENHALSIUS Rectoris munus in schola Palæo-Dresdensi suscepit, quum ad numerum discipulorum brevi temporis spacio insignes fierent accessiones, & schola novam quasi faciem indueret. Ars laudabat Magistrum. Doctrina atque industria, quam in unumquemque, qui ipsius committebatur disciplinæ, conferebat, optimo cuique probabatur. Auditor excitabat studium & studium auditorem. Exinde *INVENTOR HUIUS TABULÆ* iudicavit, calcar litterarum cupidus submittendum, ne ipsi in studiis languerent. Tabulam excogitavit, eam avibus hisce præceptricibus instruxit, iis certa adjecit symbola, sub unaquaque earum, quædam verba, quibus certæ hisce avibus propriæ exprimuntur virtutes, posuit, voluitque docere discipuli *studium*.

VII.

Studium significat *indefessam & vehementem contentionem conferendi vires animi ad discendum, ut habitus certæ disciplinæ, acquiratur.* Diligentia, quæ studiis impendenda, requirit præcipue amorem litterarum. Amor producere valet cupiditatem. Quo major cupiditas eo major diligentia,

Tunc *Omnia conando docilis solertia vincit.*
simulque *OVIDII* k) verba locum habent:

*Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum
Tempus & adsueta ponere in arte juvat.*

§. VIII.

Duplex præsertim datur via, qua discipulus ad diligentiam

tiam

k) *Libr. I. de Ponto.*

tiam duci potest. Alia pigritiam punit, alia rectæ promittit actionis præmia. Utraque in disciplina scholastica est observanda. Ingeniis ratione utentibus calcaria subdere honesta juvat. Rectæ actionis laus, aliorum exempla, diligentiae utilitas & honoris expectatio plus prodest, quam crebriores exprobrationes, officii intermissi reprehensio & severior animadversio, vel alia rigidior disciplina. Etenim

Excitat auditor Studium laudatque virtus

Crescit & immensum gloria calcar habet. l)

& SENECA m) *Lauda, inquit, parce, vitupera parcus. Nam similiter reprehensibilis est, & nimis laudatio & immoderata vituperatio. Qua de causa ad studii incitamentum illud est referendum artificium, quod a virtutibus, quæ creaturis ratione destitutis insunt, petitur.*

§. IX.

Quoties homo meliori bestiis gaudens ratione ad animalia mittitur, ut ex iis discat? Sapiientissimus SALOMO n) *pigros, qui futuræ salutis minime rationem habent ad formicas abire jubet, sibi æstate cibum parantes, ne hyeme pereant fame. Pari modo cujusvis est adolescentiam dedicare artibus, ut aliquando jucundam vitam ducere possit. Hinc quoque evenit, ut veteres pigrum cum cicada & asino compararent, diligentem autem cum formica & ape o.)*

B

Nolo

l) OVIDIUS. *Libr. IV. de Ponto.*

m) *in libr. de quatuor virtutibus.*

n) *Proverb. VI. 6 seqq.*

o) *evolvi possunt BUCHNERI Dissertationum Vol. I. diff. XIII. & XXV. DREXELII Aurif. Part. I. c. IX. p. 92. seqq. BALTH. BONIFACII Histor. Lud. lib. IX. c. XXIV-XXX.*

Pictura Scholæ Palæo - Dresdenfis

Nolo prolixius in hac re versari, nec laborem multum impendere conferendis virtutibus & vitiis animalium cum actionibus humanis, nec inquirere rationes, quare & pigri & diligentes interdum nominibus brutorum adfici soleant. Aves illæ scholasticæ nobis in præsentem esse debent curæ, ad quas nos sine ulterioribus ambagibus convertemus,

§. X.

Tribus nunc verbis nobis dicendum est, quare hæ aves generatim *aves scholasticæ* sint nuncupandæ? Ratio non exinde petenda, quoniam in schola quadam extant pietæ, sed partim quod ejusmodi illis virtutes inhærent, quas sectari discipulum oportet, si studia felici successu sint pertractanda, partim quoniam nonnulla in illis vitia occurrunt, quæ, nisi discipulus tanquam pestem fugiat, studia impediunt. Ad has igitur aves me convertito & pro virili parte explico, certo confisus, hanc operam non prorsus fore inutilem.

Cap. II.

DE RATIONE STUDII A DISCIPULO RITE INSTITU-
ENDI QUATUOR AVIBUS INDICATA.


Sect. I.

DE GALLO.

- §. I. Effigies Galli proponitur. §. II. Gallum in Græca lingua nomen a surgendo accepisse refertur. §. III. Ipsius cantus a somno discipulum avocare debet. §. IV. Gallus discipulum admonet partim gratiarum actionis Deo solvenda. §. V. partim diligentie matutino tempore studiis impendenda. §. VI. Namque Aurora Musis Amica, §. VII. Pugna.



um



ocibus utor!
Lumen eris.

Non mihi sed stulto placeat tua cantio corve,
Cras, quæ hodie disco, discere non opus est.

ad Sect. IV.

de studio.

§. VII. *Pugnacitas Gallorum discipulos omnes ad emulationem inter se invicem excitare debet.* §. VIII. *Quam ob causam veteres Galli effigiem libris, qui dicuntur elementarii, adjecerint, & in scholasticis posuerint adificiis.* §. IX. *Denique quoddam singulare addiur proverbium de Gallo, in Scholis usu receptum.*

§. I.

IN capite hujus tabulæ primum oculis nostris Gallus offertur, qui aperto porrectoque in altum rostro cælum rubescente aurora adspicit, exclamanti similis, verbis ad cantum ipsius formatis & ad pedes expressis: **Früh! Früh! Früh! Früh!** Inferius paulo legitur:

*Lucis ego volucris clamo, expergiscere mane!
Mane experrectum præmia multa manent.*

§. II.

Gallum adventantem præsentire auroram & accessum diei annunciare satis notum atque exploratum est. a) *αλεξ[cap]* b) propterea in Græca lingua nomen ipsi est, & pariter vocem Anglo-Saxonicam *Sahn* ab *άνα*, prout per apocopen (*HESYCHIO* teste) ponitur pro *άναστα* surge, originem traxisse putat *FRANCISCUS IUNIUS*. c) Accedunt quoque *PLINIUS* d) *BOCHARTUS* e) *FRAN-*
B 2 *ZIUS*

- a) *vid. JOH. CYPRIANI Histor. Animalium Franzii Part. II. c. X. p. 1043.*
b) *de hac voce consule M. DAN. GODOF. WERNERI disp. I. de Gallo Gallinæo vigili Petri monitore §. IV. V. & VI.*
c) *in observationibus ad Willerani Paraphrasin Cantici Cantico- rum p. 188.*
d) *Libr. X. cap. XXI.*
e) *Hieroz. P. II. c. XVI. p. 110. seqq.*

ZIUS, CYPRIANUS f) & alii qui historiam tradiderunt animalium, adfirmantes, nominis proprietatem Gallo plerumque imponi vel propter *vigilantiam* vel propter *pugnacitatem*. En duas virtutes, quæ ad studium applicandæ ac commode cum officio discipuli conciliandæ mihi veniunt.

§. III.

Quod ad *vigilantiam* attinet cantui gallinaceo respondent voces *Früh! Früh! Früh!* id, quod a discipulo probe attendi meretur. Etenim Gallum videt discipulus pictum salutantem quasi auroram admonentemque albescente cælo surgendum esse electo plumasque & culcitram relinquendam:

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,

Ipsa sed adsiduo parta labore venit.

Ἠλέκτωρος cantum statim sequitur ἡλέκτωρ, g) & turpitudini est discipulo, si stertat in medium diem, quum spargit sol radios in cubiculum & aciem oculorum plane perfringit. Hujusmodi desides somnolentosque jam antiquitas non inepte vocavit *glires vitulosque Marinos*:

Dormitis nimium glires vitulique Marini,

Quid mirum si vos crassa Minerva premit.

MARTIALIS h) propterea a pueris exigit ut mane relinquunt lectum simul ac Gallus emiserit vocem:

Surgi-

f) *Hist. Anim. Franzii Part. II, c. X, p. 1040. seqq.*

g) *conf. M. D. G. WERNERI diss. I. de Gallo Gallinaceo vigili Pertri monitore. §. 2. ubi plum invenies, unde Gallus ἡλέκτωρ quemadmodum sol a Grecis nominatur ἡλέκτωρ.*

h) *Libr. XIV. epigr. ult.*

de studio.

*Surgite (inquiens) jam pueris vendit jentacula pistor,
Cristaræque sonant undique lucis aves.*

Et THEOCRITUS i)

*Expergiscamini sub auroram nec obliuiscamini
Redibimus & nos mane, ubi primus cantor
E cubili suo insonuerit, sustolles pulchre pennatam cervicem.*

§. IV.

Gallus tollens caput ad cœlum & creatori omnium rerum suo modo agens gratias pro conservatione, discipulum voce *Srüh!* instruit, a Deo studiorum principium esse petendum. Multoque magis homo obstrictior Deo creatura, quippe ratione gaudens, tenetur omni tempore, & præsertim, si e somno excitata Galli cantu fuerit, gratissimam pro bonis, quibus ceteris præstat animalibus, cœlesti patri consecrare mentem. B. LUTHERUS k) quam diligentissime usus est hocce effato:

Dimidium studii rite precatus habet.

*Fleißig gebetet ist halb studirt
Wohl dem der solches practicirt.*

Studium cum pietate jungere & preces tam privatas instituire, quam publicis diligenter interesse discipuli est, ut studiorum cursus Divino adspirante Numine felici successu progrediatur. Qui Musarum primordia a precibus capit, ipse sentiet, se ad exoptatam studiorum metam eo feliciter Pietatis manu quasi apprehensum duci.

B 3

Deus

i) *Idyllio XVIII. v. 55. seqq. adde OVIDIUM libr. I. Fast. v. 455.
libr. II. Fast. v. 767. LUCRETII libr. IV. v. 711. seqq.*

k) *confer. D. G. H. GOEZZI differt. de oraculo Lutheri: Fleißig
gebetet ist über die Helfste studirt. Lub. 1718. 4.*

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

DEus enim semper subvenit piis; ipsisque promptissimum offert auxilium, ut omnia ex voto fluant. Veteres Gentiles propterea quoque nihil sine Numine agendum esse statuebant. CICERO: 1) *A Diis, inquit, immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.* Et VIRGILIUS, m) *a Jove principium Musæ* petit. Sed potius nobis ad Christianos, qui verum colunt Numen est revertendum. Quot prostant quæso exempla eorum, qui litterarum studia cum pietate & innocentia vitæ, conjunxerunt & deinde singulari providentia Clementissimi Dei ad summos provecti fuerunt Gradus. Præter alios Clarissimos Viros LUTHERUM saltem optimi cuiusque meditationi relinquo cogitationique subjicio.

§. V.

Precibus autem peractis porro strenue discipulus sub primæ lucis exortu ad laborem progrediatur necesse est. Maxime enim idoneum tempus matutinum est studiis. Quod si obverteris, aliud dici spatium non minus favere studiis, facile fatistibi fieri potest. Studia animum postulant tranquillum, quia discipuli versantur circa res, quæ beneficio memoriæ ingenii & judicii sunt discendæ. Præterea constat, animum non omni tempore ad cogitandum & meditandum vel aliquid memoriæ tradendum æque esse aptum, subinde omnino hora matutina, quo tempore mens præsertim est libera sibi que relicta, litterarum tractationi est impendenda. Quam methodum PYTHAGORAS, n) a discipulis suis voluit observari.

Ille

1) *Libr. II. de Legibus.*

m) *Ecloga III. v. 60.*

n) *evolvi potest SCHEFFERUS de natura & constit. philosophiæ Italica Cap. XIV. p. 158-168.*

de studio.

Ille cum aliis jufferit *ἐκ τῆς κλίνης ἀνίσταται ἔσπερον, ἢ τὸν ἥλιον ἀνιόχσειν, e lecto surgere postquam sol esset ortus, & voluerit, μὴδ ἀπροσβάλειτον μὴδ ἀνυπευθονον μὴδὲν ποιεῖν, ἀλλὰ, πρῶτὸ μὲν προχενεῖξασθαι τι πρακτικόν, nihil fieri absque deliberatione aut temere, sed mane quidem cogitandum, quod agendum foret;* Omnis, qui suo ab ore pendebant, deambulationes matutino tempore solitarias in locis amœnis atque jucundis commendavit, & hac temporis opportunitate tum ad doctrinas tum ad disciplinas docendas & percipiendas & ad mores corrigendos uti voluit.

§. VI.

Pythagoræa cum lege consentit adagium, quod nostræ ætatis litterati juvenibus, qui artes colunt humaniores, inculcant dicendo: *Aurora Musis Amica.* Cujus proverbii litteræ initiales sistunt *AMA*, Germanica interpretatio sic se habet:

*Morgen-Stund
Hat Gold in Mund.*

Qua in explicatione mirifica auroræ tribuitur proprietas, quæ mihi a roseis videtur accersita esse digitis, quos Græci & Latini Poetæ o) auroræ adfinxerunt. Aurum enim auroræ esse arbitror refractionem radiorum solis sub horizonte constituti, qui attingunt atmosphæram, in eaque refringuntur. Exinde fieri solet, ut radii refracti, aere particulis aquosis tumefcente, rubrum gignant colorem auro non dissimilem. Hoc igitur adagio illi,

o) vid. J. A. CRUSH Tract. de nocte & nocturnis officiis, cap. III.
& que ibi allegantur.

Pictura Scholæ Paleo-Dresdensis

qui in litterarum studia incumbunt, docentur, cum solis ortu sibi esse surgendum, ut de auroræ auro participant, hoc est, ut auroræ splendorem in suam convertant utilitatem, & præmia, quæ ex eruditione solida proveniunt, expectent auro longe præstantiora.

§. VII.

Nos convertimus a vigilantia ad animositatem, quæ potissimum in Gallo notanda. ARISTOPHANES, PLINIUS, ÆLIANUS, & LUCIANUS multum suis scriptis adperserunt de ἀλεκτρομαχία p.) Origo τῆς ἀλεκτρομαχίας THEMISTOCLI q) debetur, qui cum exercitum adversus Barbaros educeret, Gallos Gallinaceos conspexit pugnantes neque ille oscitanter eos vidit, sed totum exercitum adstare iussit & dixit ad ipsos. At hi neque pro patria neque pro diis patriis neque vero pro avitis monumentis mala subeunt, neque pro gloria neque pro libertate neque pro liberis sed ea gratia uterque, ne superetur neve alter alteri cedat. Quibus dictis Atheniensium animos confirmavit. Quod ergo tunc eis incitamentum ad virtutem extitit, voluit ad edenda similia monumentum servare, ut Galli Gallinacci

p) de hoc argumento pluribus consuli potest D. G. H. GOEZII diff. de Alektromachia oder von Gahn-Kampf. Lub. 1709.

4. Festum, quo Athenienses certamen Gallorum instituebant, nominabatur ἀλεκτρονίων ἀγων. JOH. FASOLDI ἱερολογία Dec. VI. Fest. VII. p. 196. BALTH. BONIFACII Hist. Lud. libr. III. c. VII. & libr. XIII. c. XV. Ad quod certamen Gallos pugnantissimos commendat Tanagreos VARRO, COLUMELLA, PLINIUS, PAUSANIAS, HESYCHIUS, SUIDA. vid. BOCHARTI Hieroz. Part. II. libr. I. c. XVI.

q) ÆLIAN. Hist. Var. libr. II. c. XXVIII. p. 118. edit. Jac. Perizonii, Lugd. 1701. adde Schefferi & Kjbñii not. in b, l. p. 191.

de studio.

nacei quotannis uno die publice in theatro certarent. Quemadmodum autem Gallorum quondam certamina edebantur, ut adolescentibus Romanis stimulus ad fortitudinem injiceretur, ita eadem nostris temporibus in utilitatem juventutis litterarum cupidæ viri eruditi adhibuerunt. Dies, quæ in fastis Galli vel S. Georgii nomen refert, destinata est ἀλυσίτρομαχίας, eaque in Anglia, Polonia simulque Silesia r) adolescentes Gallos, variis ciborum, quibus bilis excitatur, generibus nutritos in scenam producant, & cujus Gallus palmam ex ea pugna deportat, ille titulo encomiastico Regis adficitur solennique pompa domum deducitur. Pulchrum æmulationis exemplum, quo Præceptores discipulos suos invitant, ut cum condiscipulis certamen de eruditione & studio ineant. Ille, qui in imis sublellis hæret, ipsum, qui pluribus est imbutus litteris, superare semper sibi proponat opus est, & vicissim illi, qui alios jam longe post se relinquit, summopere est elaborandum, ne ab ipsis, qui vix rudimenta quædam posuerunt tyrocini, vincatur, quod sibi maximæ foret turpitudini. POMPONIUS ATTICUS ipsis exemplari summæ æmulationis est tradendus, qui adeo cum suis æqualibus de prærogativa studii contendebat, ut clarius exsplenderet, quam generosi condiscipuli æquo animo ferre possent. Itaque omnes incitabat studio suo: quo in numero fuerunt, L. TORQUATUS, C. MARIUS, C. FILIUS, M. CICERO. s) Sunt quidem nonnulli,

C

li,

r) conf. BENTHEMS Englischer Kirchen-Staat. c. XXV.
S. 9. p. 543. CYPRIANI Hist. Animal. P. II. c. X. pag.
1041. seqq.

s) CORNELIUS NEPOS in vita Attica.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

li, qui Attici vestigia premunt, sed utinam omnes & singuli, qui nomen Musis dederunt, & Gallorum alacritate & Attici studio & ejus commilitonum æmulatione essent instructi, & inter se de eo, quod justum, quod honestum, quod humanarum artium studiosis congruum, acriter pugnarent simulque cum eo vere eruditi evaderent.

§. VIII.

Rem exigui quidem momenti, quæ tamen huc pertinet, silentio plane obtegere non possum, quoniam præcedentibus cum verbis ipsa cohæret. Galli imago est, quæ ceteroquin mox in principio mox in fine librorum, qui prima litterarum elementa continet, rubro plerumque distincta colore adjicitur. t) Gallus munere quasi Præceptoris fungens pingitur. Unguibus tenet stilum & puerum manu tenentem librum docere videtur. Inferius paulo acies duorum Gallorum inter se pugnantium conspicitur, & interdum ligato sermone causa redditur, quam ob rem hæc effigies accedat. Neque putarem, ipsis, quorum officium est, prima litterarum rudimenta tenerim impingere animis, pudori esse ducendum, si effigiem hujus avis scholasticæ exponerent & ad Gallorum exempla adhortarentur adolescentiam. Respicit vero hæc effigies non minus, quam Galli forma ex lamina ferrea æneave parata & in summo ludorum scholasticorum cacumine u) collocata, cujus signi vestigia multis in locis

t) *vid. A. B. C. cum not. var. P. II. p. 282. seqq.*

u) G. CHLADNI. *inventarium templorum. c. III. Art. VI. §. 3. & 9. p. 372. 373.* CYPRIANI. *Hist. Anim. P. II. c. X. pag. 1042. seqq.*

cis adhuc apparent, ad virtutes, quas supra perlustravimus & commendavimus. Hac de re haud graveris quæso sententiam Clarissimi HUNDORPHII audire, sub finem tractatus de Ritu depositionis, interrogantis, cur Majores Gallum in libris Alphabethariis & in Collegio Erfortensi posuissent? simulque addit: v)

Gleichwie die Hanen in der Nacht
Auf Morgen Sunden haben acht,
So sollen Studenten dieser Zeit
Fleißig anfangen ihre Arbeit.

*Surgamus ergo strenue, Caneme Gallo spes redit,
Gallus jacentes increpat, Gnavi studentes surgite:
Et dormientes excitat, Ac ad scholam concurrite,
Ergo jacentes surgite; Surgamus ergo strenue!*

§. IX.

Quod nondum profus a consideratione hujus avis discedam, ea causa est, quia unum adhuc proverbium mihi venit in mentem, quod partim parentes, partim præceptores acclamare solent studia colentibus & ita se habet: *Qui diligenter studet, capones comedet*: B. MATHESIUS x) istud quodam loco prolixius hunc in modum expressit:

Lieber Sohn lerne fein
So iest du Hüner und trinckest Wein,
Lernst du aber übel
So iest du mit den Schweinen aus den Kübel.
C 2 Quid

v) adde M. JOH. PRÆTORII *Aletrvromantiam*, pag. 35. seqq. D. FRID. BALDUINUM in conc. XXX. sup. Judic. HERBERGERS *Trauer-Binde* P. I. conc. V.
x) vid. ejusd. 20ste Schul-Predigt. ubi plura.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

Quid sibi hæc verba velint in promptu est. Qui bene didicit bene sapit. Indefessum studium comparat acquisitionem eruditionem, eruditio ducit ad honorem. Qui artes in pueritia solide percepit, ille deinde sui studii atque laboris usura perfruitur & sæpius per artes liberales ad tantum dignitatis gradum ascendit, ut, cum antea non potuerit ad Musas currere lata via & in summa rerum inopia studiis operatus fuerit, tandem arte sua adjutus abundet opibus & pro pane sale adperso capones comedere possit. Caro enim caponum in deliciis olim habebatur, y) adeo ut capones assi tantum apponerentur in Mensa regum & Rex propterea Persarum z) qui caponum carne mirifice delectabatur, iusserit Armenios certum eorum singulis annis alere numerum. Nunc vero cuique ea fors contingere potest, qui in adolescentia recte studii duxit rationem, idque quantum in viribus suis fuit positum, litteris colendis insumsit. Plura de Gallo facere verba nostri non est consilii. Sufficiant hæc & ad reliquas exponendas sectiones pergamus.

Sect. II.

DE COTURNICE.

§. I. *Continet picturæ Coturnicis explanationem.* §. II. *Verba DIC CUR HIC! cum ejus cantione conciliantur.* §. III. *Quid hic per DIC CUR HIC! indicetur.* §. IV. *Quomodo hæc voces a discipulo recte observari possint.* §. V. *Quam ad observationem nomina, quibus si bo-
le inscribi solent, requiruntur.* §. VI. *Exinde uberius probatur,
id, quod ad officium discipuli sit necessarium.* §. VII. *Studia quoque
privæ.*

y) VOSSIUS *de Idololatria, Libr. III. p. 1223 1225.*

z) CYPRIANUS *in l. c. p. 1051. seqq.*

de studio.

privatam postulant diligentiam, quia studiose omnia, quae in schola tractantur, sunt repetenda. §. VIII. Quo spectant examina publica. §. IX. Namque diligenti repetitione memoria rubigo expolitur. §. X. Hujus sectionis conclusio sequitur.

§. I.

IN proxima a Gallo regione Coturnicem, ex agro triticis pleno procurrentem videmus. Cantus ejus similitudine accedit ad sonum harum vocum: DIC CUR HIC! Et per prosopopœiam loquens introducitur:

DIC CUR HIC! resono repetensque volo, ocyus ut tu Perficias, quæ sunt expedienda tibi.

VII.

Coturnicem generis Gallinacei induere naturam & Gallorum vigilantia & animositati parum cedere constat. a) Mittimus eas virtutes, quas supra de Gallo prædicavimus & protinus ad ea perlustranda properamus, quæ præiens versus nostræ suppeditat meditationi. Verba DIC CUR HIC! congruere cum clangore Bickerbik b) jam veteres fingebant, & qui cantantem illam audivit, facile convinci potest, hasce syllabas respondere coturnicis cantui consueto, ita, ut si singulas syllabas debito tono pronuncies, habeas DIC CUR HIC! Liceat mihi sonum hujus avis concilare, quantum fieri potest, cum studio discipuli & hæc verba in moralem detorquere significationem.

G 3

Ver-

a) de spectaculis, in quibus coturnices pugnabant, evolue CYPRIANUM in Histor. Anim. Franzii Libr. I. P. II. c. XIX. pag. 1416. seqq.

b) CYPRIANUS l. c. p. 1387 seqq. & BOCHARTUS in Hieroz. P. II. Lib. I. c. XIV.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

§. III.

Verba Dic Cur Hic! in se comprehendunt *admonitionem ad istud negotium, ad quod peragendum discipulus tenetur.* Commertium autem discipulo est cum artibus liberalibus, ad quas vel publica vel privata eruditur institutione. Simul ac in viam, quæ in scholam ducit, sese contulit, ita secum cogitare debet: Quo tendo, & quam ob rem calco viam, quæ ducit ad locum Musis dedicatum? Hac instituta meditatione in mentem revocabit scopum verum, quem parentes liberis, simul ac ipsos in scholam mittunt, ostendunt versu:

Nimius Dinte Faß,

Geh in die Schule und lerne was.

simulque utilitatis recordabitur scholarum. Ansam huic meditationi præbere possunt, vel diversa, quibus scholæ appellantur nomina, vel diversæ res, circa quas animus in schola versatur. Agedum utriusque rei periculum faciemus, ut quilibet, cui placet ad institutum attendere, proprio Marte intelligat, hoc consilium bene esse cessuram.

§ IV.

Priusquam discipulus se confert in scholam, sciat necesse est, an animus ad studia sit pronus atque appositus. Qui tendit in scholam, ejus mens libera esse debet a cogitationibus vagis & alienis. Vagæ enim cogitationes impediunt attentionem. Attentio quoque non potest simul defigi diversis in rebus. Quo attentior est rei cuiquam animus eo majorem attentionis sentit fructum. Hæc inter ea pertinere, quæ a bono discipulo requiruntur, vel eo monemur, quod vox *schola* a *σχολή* otium, *vacatio,*

de studio.

vacatio, BECMANNO c) iudice, sit orta. Dicitur porro locus, in quo litteræ, sed plerumque perfectioribus discipulis, proponuntur, *Gymnasium* d.) Iterum discipulus cogit; hic locus ab exercitiis veterum retinuit nomen, hinc meum est, me hic in artibus exercere humanioribus, ut subinde perfectior in eruditione evadam. Crebriora enim litterarum exercitia augent profectus studiorum, crebrior rei actio abit in consuetudinem & assidua deinde exercitacione comparatur a nobis habitus.

§. V.

Eadem meditatio cum nominibus suscipi potest scholæ Synonymicis. Unum alterumque tantum perscrutabor. Schola alias nominatur *Ludus litterarius*. Ludi delectant animum, litteræ humaniores multo magis. Cui res est cum litteris, ille experitur, quantæ deliciae, quantæ amœnitates, quantæ dulcedines recondita sint in illis. Hæ iucunditates sunt omnibus ludis, qui apud Romanos edebantur jure meritoque, præferendæ. Namque illorum delectatio cum tempore finitur, horum ad ultimum vitæ terminum perdurat. Illi parum utilitatis secum ferunt, hæ litteræ multum. Illi animum quidem exhilarare possunt, hæ vero in continua requie & tranquillitate consistere & omnis generis suavitate in longe majori gradu ac ludi veterum perfundere. Hæc vero prærogativa
ludis

c) de originibus L.L. sub. h. v. Hinc viri otii Hebræis dicuntur literati, de quibus multum inter eruditos est disceptatum. Scripta que de X. otiosis Synagogæ edita sunt, refert BENTHEM in *Niederländischen Kirchen-Staat*. P. II. c. II. §. 43. seqq. p. 100. adde LICHTFOOT. *Hor. Talm.* pag. 248.

d) evolve de h. v. SUIDAM & BECMANNUM de orig. L.L.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

ludis convenit scholasticis propter artes, quæ in illis tractantur. Habemus in hac re nobiscum consentientem CICERONEM e) in optimis artibus versatissimum: *Adolescentiam, inquit, alunt, sene&utemoble&ant, secundas res ornant, adversis perfugium atque solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum peregrinantur, rusticantur.* Schola porro nomine officinæ scholasticæ indigitatur, quia in scholis rudes adolescentium animi expoliuntur, & ab inertia revocantur, aptaque redduntur, ut ipsis respublica aliquando tanquam utilibus instrumentis uti possit. *Sedes Musarum* scholæ porro appellantur, *plantaria adolescentiæ* & aliis nominibus, quæ partim ex scholarum inscriptionibus, partim ex veterum appellationibus cumulate colligi possunt f.) Ex nominum autem scholasticorum consideratione ille, qui pigritiæ, deditus est, convinci potest, scholis ac discipulis nihil rei esse oportere cum pigritia. Ille vero, qui debitam diligentiam in litterarum tractationem confert, lætitiâ capiet ex rectæ actionis præmiis & in studio confirmabitur identidem secum adsidue reputans: **DIC CUR HIC!**

§. VI.

DIC CUR HIC! quod idem est, ac **HOC AGE** g) animo & cogitatione discipulo tenendum, quotiescunque venerit in scholam. Hic finem sibi ante oculos constituere debet, cur in scholam fuerit delatus. *Finis erit vel primarius*

e) in *ont.* pro A. Lic. Archia poeta.

f) vid. JOH. a WOWER *Po. ymabiam.* c. II. §. 4-10.

g) conf. MART. CRUSII *ont.* de HOC AGE orat. XVII. p. 90-97.

de studio.

marius vel secundarius. *Primarius* consistit in audiendi & discendi studio. Studium audiendi ab illo exigit, ut attentas præceptoris porrigat aures, atque verba ab isto prolata captet, capta perpendat, perpensa memoriæ demandet. Studium discendi plura per officia sese exerit. Discipuli est, veterum statim evolvere monumenta, defixam in iis, quæ proponuntur & explicantur, habere mentem, præterea impigrum se præstare in annotando peculiaris proverbia, insignes, quæ occurrunt, sententias, troporum pulchritudinem, coloris rhetorici usum, venustas loquendi formulas, stili leporem, dialectica loca, & alia, quæ præceptor sermoni inserit Latinitatis ornamenta. Finis *secundarius* est, ut ad pietatem ducatur, ut humaniores perdiscat artes, ut ad disciplinam morum & justæ vitæ informetur, ut aliquando saluberrima reipublicæ præstare possit officia, ut honeste vivat & necessaria sibi tandem vitæ subsidia paret.

§. VII.

Studia non publice solum sed privatim etiam postulant diligentiam. Eodemque B. Autoris hujus tabulæ spectare sententiam sentio, quum Coturnicem repetentem ponit: DIC CUR HIC! Repetitio ista discipulum domum redeuntem admonet:

Ne deponas libros nec desinat unquam

Tecum Graja loquit tecum Romana vetustas. h)

Ea, quæ in schola proposita, sedulo domi in memoriam sunt revocanda & quæ una opera capere non potuit, & propterea in chartam conjecit, iterum iterumque

D

que

h) CLAUDIAN, *de quarto consulatu Honorii.*

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

que sunt perlegenda. Alit enim lectio ex sententia Sapientissimi SENECÆ i) ingenium & studio fatigatum non sine studio tamen reficit. Et neminem fugit versus:

Lectio lecta placet decies repetita placebit.

Quod si vero discipulo peractis laboribus scholasticis alia imponuntur negotia, ut repetitionis laborem subire statim nequeat, suum tamen esse ducat, non prius somno indulgere, quam omnia diei acta Pythagoræo modo reputaverit animo.

§. VIII.

A repetitione privata nos convertimus ad publicam. Usu in scholis quidem receptum est publicis, ut profectus adolescentium, quos in litteris per anni spacium fecerunt, certo tempore examini publico in præsentia Virorum Clarissimorum scholarumque Inspectorum subiciantur. k) Ast hoc anniversarium idque unicum examen vel repetitio publica mihi nondum sufficiens esse videtur, quia interdum evenit, ut ille, qui in examen provocatur vel timore vel pudore peresus respondere ad requisita non possit, etsi sæpius majori imbutus sit eruditione, quam ille, qui promptum in respondendo sese exhibet. Silentio præterire non possum singulis etiam mensibus, quid? quod hebdomadibus præceptores quosdam fuscipere solere examina hujusmodi, & optandum esset, ut hoc exercitium utique nullo non tempore tanquam lex observaretur. Redeo, ne extra oleas vagari & fal-

i) *Libr. IV. Ep. 85.*

k) *vid. CANZILL usum Phil. Leibn. & Wolff. in Theol. sub fine Tom. II. P. II. cap. de ratione studiorum in universum, §. II. seqq. p. 184. seqq.*

falcem mittere in alienam messem videar. Hoc unum
juvat adjicere, hujusmodi diligenter repetita exercitia
atque examina memoriæ inservire multum.

§. IX.

Ignoscas quæso mihi hoc loco conanti faciliorem meo
quidem tenui iudicio ostendere viam & modum, quo
juvenum memoria subinde expolitior reddi potest. E-
nim vero non cuilibet ea innata est memoriæ præstantia,
qua CHARMIDES & frater ejus polluerunt, ut quoscun-
que in Bibliothecis legerant libros, ad verbum memori-
ter recitare potuerint l.) Multo vero præstantior est illa
memoria, quæ studii cupiditate & crebriori exercitio
acquiritur, dummodo exercitium non transcendat me-
moriæ vires. Aliud propterea consilium illi, qui ado-
lescentes non eadem memoriæ felicitate præditos do-
cet, est ineundum, ut nempe aliis, qui omnia facile ca-
pere possunt, exercitia, ad quorum elaborationem opus
est acumine iudicii proponat, alios autem, quorum me-
moria est imbecillior, diligentius exerceat in perdiscen-
dis vocabulis, Phrasibus & denique orationibus. m) Qui
hoc sequentur consilium, illi memoriam facile reddent
feliciter promptioremque, aptique evadent ad res
præteritas olim perceptas tum retinendas, tum justo tem-
pore revocandas in mentem.

D 2

Hæc

l) PLINIUS *Libr. VII. Hist. Nat. c. XXIV.* DREXELIUS *in Au-
rifod. P. I. c. X. p. 108.*

m) *Memorie adminicula. v. in DREXELII Aurifod. P. III. c. X.
p. 333. seqq. adde CANZIUM de ratione studiorum in uni-
versum §. 22. seqq.*

§. X.

Hæc nobis de Coturnice dicenda fuerunt, ad quæ proponenda ejus nos cantus: **DIC CUR HIC!** impulit. Forfitan sunt, qui putant, studiorum rationem, a discipulo instituendam, esse per duas præcedentes aves satis atque abunde demonstratam & prope absolutam, sed quia nobis adhuc duæ aves supersunt, non ex optimo avium genere, nobis quoque est perpendendum, quid sibi illæ velint, quidve in illis deprehendamus, quod discipuli ad imitandum proponere possint.

Sect. III.

DE NOCTUA:

§. I. *Noctua consideratur simulacrum.* §. II. *Quid de Noctua plerumque existimetur.* §. III. *Ipsam Athenienses præsertim Minerva consecraverunt.* §. IV. *propterea Athenis magno fuit habita in pretio.* §. V. *Proverbiis γλαύξ ἐῖς Ἀθῆνας fit mentio.* §. VI. *Quomodo proverbium a veteribus recte adhibeatur.* §. VII. *Exinde uberius probatur Athenienses Noctuam jam pro ave scholastica coluisse.* §. VIII. *Noctua discipulum docet, quid nox studiis prosit.* §. IX. *Quisnam modus in lucubrando sit adhibendus.* §. X. *Noctis abusus fit mentio.* §. XI. *conclusio.*

§. I.

Tertium tabulæ locum tenet *Noctua* terræ insitens & circumdata undique noctis caligine, cui obicitur semiformis lunæ species. Inscriptioni autem **SUM NOCTUA**, adjecta sunt verba

*Deligo secessus oculisque in noctibus utor:
Noctua si fueris denique lumen eris.*

Quid

de studio.

§. II.

Quid quæso boni huic avium monstro inest, a quo fere
omnis generis aves abhorrent, & ceteroquin nihil homi-
ni prodest. Nomen gerit odiosum, quod congruit ejus
nocturnis actionibus. a) Insolitam & stupendam habet
formam, quam reliquæ aves abhorrere videntur, ita, ut
illæ noctuam in lucem prodire haud sinant, quin plumas
ejus vellicent, eamque e medio tollere omni modo stu-
deant. Historiæ animalium amatores nihil boni in ea de-
prehenderunt & poetæ veteres propterea nefandas de
ipsa tradiderunt fabulas. b) Quo igitur modo in nume-
rum avium scholasticarum referatur & quam ob causam
ipsi locus hic tribuatur? nostrum erit in præsentia uberi-
us patefacere.

§. III.

Athenienses noctuam propter cæcios oculos, quibus et-
iam in tenebris utitur, consecrarunt Minervæ c) Dea sa-
pientiæ Præsidii, quia ubique omnia videt sapientia, & illa
etiam dijudicat, quæ ceteris obscura videntur. Adje-
cerunt igitur eam simulacro ejus nunc supra caput, nunc in
manu, nunc in ægide, nunc ad pedes ejus effingentes.
Utrum vero super caput Noctuam sculptam Minervæ tri-
buerint omnium scientiarum Deæ, propterea, quod non-

D 3

nulli

- a) BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. l. br. II. c. XXIII. CYPRIANUS *l. c.*
cap. XXVIII. p. 169 r. seqq.
b) *Quas fabulas contulit & explicavit* BOCHARTUS P. II. *Libr.*
II. c. XXIII. l. c.
c) *conf. B. BONIFACII Hist. Lud. libr. XVI. c. XIV. de Minerva*
Monstrorum amatrice.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

nulli sedem sapientiæ in occipite quærebant, an Minervam ipsam manu tenentem vel in ægide vel in hastæ sedentem cuspide venerati sint Bellonam, an denique Noctuam, ad pedes ejus quiescentem, sub tutelam hujus religiosissimæ consideraverint Deæ, in præsentia disquirere hic nihil est loci, sed aliis potius dijudicandum relinquam. Athenienses interim Noctuæ symbolum propter Minervam maximo habuisse in pretio hoc est, quod inter omnes constat, quodque ego in præsentem pro certo adfirmare audeo.

§. IV.

Athenæ pro sede Musarum habitæ, & Minervæ ibi tanquam celeberrimæ Athenarum custodi & administratrici singularis semper exhibitus est cultus. Tempia ipsi Athenis ædificata, festa in honorem ejus instituta d) & numismata e) non modo Minervæ cum effigie signata, verum etiam Noctuæ faciem præ se ferentia excusa sunt, quæ appellabantur *Noctue Laurioticæ*. Non mihi persuadere possum Noctuas Laurioticas in regione Attica auris venis frequente, quæ Laurios dicebatur, hanc ob causam ex auro fuisse paratas, quoniam eo loco frequentiores fuisse Noctuas, quam alibi, perhibent, siquidem notum est, numos ex meliori ære culos certo interdum nomi-

d) vid. de ipsis SUIDAM sub voc. ἀπατέρια. προχαριστήρια & πλουτήρια adde J. FASOLDI *ἱερολογίαν*. Dec. I. Fesl. II. p. 55. seqq. Dec. VI. Fesl. II. p. 190. Dec. II. Fesl. IX. p. 233.

e) *Quædam numismata videri possunt in P. PETAVII vet Num. γνῶσισμα. qui tract. extat. in HENR. de SALLENGRE Thes. Antiq. Rom. Tom. II. p. 1050.*

de studio.

nomine. Quod si ad nostra respicimus tempora, monetas pariter inveniemus, quæ propter argenti melioris pretium, quod ipsis præ ceteris inest, a signo ipsis impresso nomen gerunt. Provocamus ad *monetas Luneburgenses* effigie feri hominis signatas & ad *Holsatienses* cervi figura conspicuas, quas patrio sermone appellamus: *die wilden Männergen und Hirschgen*, non propterea quod in illis regionibus, in quibus parantur, abundantia est ferorum hominum & cervorum, sed longe alias ob causas, quas ut hic recenseamus non opus est. Nos exinde ad Laurioticas revertimur Noctuas, illosque numos potius ad honorem Minervæ Deæ Atheniensium habendum elaboratos fuisse, quam ad indicandam Noctuarum copiam, quæ Athenis olim nidificasse feruntur, liberius adfirmamus. Res per se clara, Noctuas amare loca deserta, eaque, in quibus nulla hominum datur frequentia. Athenis vero copiosi erant homines, f) qui omnibus prope modum ex mundi partibus ibi confluebant, ut vix ac ne vix quidem ibi inveniretur locus, quin frequentaretur, ut adeo ad speluncas longe ab Athenis distantes illis, qui multitudinem Noctuarum in Attica defendere cupiunt, sit fugiendum. g)

§. V.

Hac nobis oblata occasione in proverbium *γλαυκαῖς ἄθῆνας* h) incidimus, & remotis rationibus, quibus illud stabilire quidam voluerunt, aliam perscrutamur originem.

γλαυξ

f) BOCHARTUS in *Phaleg. & Canaan* Libr. IV. c. XX.

g) consensit nobiscum CYPRIANUS l. c. P. II. c. XXVIII. p. 1694.

h) vid. ERASMUM in *adagijs sub Prov. ululas Athenas.*

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

γλαυξ nobis species Noctuarum esse videtur, quæ Minervæ propter glaucos oculos erant sacræ. Per γλαῦκας autem intelligi possunt Viri Sapientissimi i), qui Athenis commorabantur, & doctrinas tradebant Philosophicas. Et enim γλαυξ quidem pro sapientiæ sapius signo k) ponebatur, sed viri illi sapientissimi tales erant γλαῦκες, quæ sapientiam, quam sibi beneficio Minervæ concessam existimarunt, ad alias propagabant gentes. Has jure meritoque Noctuas Athenienses fuisse, ego putarem. Quo cognomine eruditos, quibus mos est maximam noctis partem in litteris collocare & lucubrando eruditionem sibi comparare non omnino præter consuetudinem adficimus. Unicum D. JAC. HEERBRANDIUM virum magni nominis in medium producemus, qui propter diligentiam nocturno tempore litteris cultioribus altioribusque impensam, *Noctua* & quod *Suevia* ejus fuit patria, appellatus est *Suevica*. i)

§.VI.

Nonnulla adhuc de hoc proferre adagio animus est, quæ clariorem rei adfundent lucem. Plerumque invenimus proverbium γλαῦκας εἰς Ἀθήνας fuisse adhibitum, si quis alterum aliquid docere voluit, de quo alter longe melius fuit instructus. CICERO venit nobis obvius, qui
in

i) *conf.* FRANZII. *Hist. Anim.* p. 287. & CYPRIANUM l.c. pag. 1690.

k) *ex* PHILOSTR. *sententia de vita Apollon.* libr. II. c. IX, adde SPANHEMII *dissert. de Numis præst.* c. III. p. 123.

j) FRISCHLINUS *in memoria Theologorum Wittenb.* vit. Heerbrandii.

de studio.

in epistola quadam ad A. Torquatum scribit: Sed rursus
γλαῦκ ἐὶς Ἀθῆνας. Quid ad te hæc? m) Si causam quarimus,
cur CICERO hac loquendi formula usus fuerit, verba
istius epistolæ præcedentia nobis erunt perlustranda. In
istis A. Torquato exponit, suaque sententia protata de-
clarat, quid de miserimo reipublicæ statu sit sentiendum,
et quomodo animus tantis miseriis prostratus ac depres-
sus erigi & confirmari possit. Sed ne denique A. Tor-
quatum pro viro habere videatur, res gestas & calamita-
tes non clare perspiciente, neque adversas æquo ferente
animo fortunas, addit verba. *Sed in eaes urbe, in qua hæc
vel plura vel ornatiores ipsi parietes loquuntur etc. & paulo post:
Sed hæc consolatio levis est, illa gravior, qua te uti spero.* Et
tandem Epistolam finit: Rursus γλαῦκ ἐὶς Ἀθῆνας: i. e.
imprudenter ago te instituere in aliqua re volens, cujus
ipse longees peritior. Quando autem usus hujus meta-
phoræ cœperit, incertum est; suspicamur tamen, eum
esse ortum, quum forte aliquando discipulus aliquis
præceptorem docere, aut homo litterarum rudis præ-
ceptorumque philosophicorum ignarus Atheniensibus
Philosophis doctrinas physicas aut morales proponere
voluit. Illi igitur γλαῦκας ἐὶς Ἀθῆνας mittere dici possunt,
qui e. g. Poetas versuum componendorum rationem
docere, homini Consultissimo prudentissimoque con-
silia dare, viroque artis oratoricæ peritissimo leges regu-
lasque docendi præscribere cupiunt.

§. VII.

Rationes, quas in superioribus reddidimus de Noctua

E

Miner-

m) in Epist. ad Famil. Libr. VI. Epist. 3.

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

Minervæ consecrata inserviunt nobis probaturis, hanc avem Athenienses pro ave scholastica coluisse, etsi alias ob causas, ac quas nos in præsentî attingemus. Propius ad hunc caliginis amatorem accedimus & in Noctua contemplamur, quæ in discipuli quadrant studium. Multa sunt, quæ in Noctua non comprobantur nobis, quæ tamen naturæ ejus apprime conveniunt. Peculiarè est huic avi in speluncis per diem latere, ex iis vesperino progredi tempore, volitare, vesci esca, amare tranquillitatem, vivere in solitudine, quia non valet per diei spacia officii sibi a natura impositis perfungi. Etenim lumen solare nocet ejus oculis, eosque obfuscat, invidiæ avium sibi inimicarum est exposita, quæ eam identidem prosequuntur, perturbant, & quo minus aliquid rite peragere possit, impediunt. Quam rectè his edocet omnibus discipulum, tempus in studia rectè collocandum & si dies illi non sufficiat, æquum esse partem quoque noctis Musis tribuere.

§. VIII.

Nocturna autem studiorum pertractatio litteris operanti quam studiosissime est commendanda, præsertim hieme, qua dierum spatia sunt contractiora noctesque in longius productæ. Exinde ea diligentia, cui diurno tempore satis non possumus facere, per noctem etiam est continuanda. Quod veteres Philosophi nocturna industria sua docuerunt. De philosophorum principe ARISTOTELE relatam legimus, ipsum, cum se ad quietem componeret, arcam spheram manu tenuisse, protenso extra lectum brachio, eo consilio, ut, cum diducta dextera

tera

de studio.

tera dormientis pila excuteretur, in subjectam pelvim cadens, ipsum sono excitaret. n) De PLINII senioris incredibili diligentia miraque vigilantia epistolam nobis scriptam reliquit PLINIUS CÆCILIVS o) SCOPELIANVS Sophista p) tanta litterarum cupiditate ardebat, ut etiam maximam noctis partem in ipsis poneret & noctem semper salutaret: *O vox tu maxima ex parte consors es sapientiae deorum.* Et adeo DEMOSTHENES noctu invigilavit studiis, ut de eo memoriae proditum sit, quod plus olei quam vini consumserit. Ipsi hac in parte sunt imitandi. Norum enim est, tranquillam noctem omnino meditati prodesse atque favere. Strepitus, qui per diem auditur, variaque externa impedimenta, quæ cadunt in sensus, noctu desinunt, animumque in cogitatione defixum sibi relinquunt.

§.IX.

Ne quis autem discipulorum excedat modum in subcundis studiorum causa vigiliis, regulam veterum attendendam esse censeo:

Septem horas dormi, tres audi, accumbe duabus

Daque decem studiis, exspatiare duas.

Namque totam lucubrando consumere noctem nocet corpori & debilitat animum. Leges vero divinæ atque naturales hominem ad utrasque partes conservandas obligant. Ad hæc alia ex nimia lucubratione manant

E 2

damna,

n) LAERTIVS libr. V.

o) PLINIUS libr. III. epist. V.

p) PHILOSTRATUS in Scopel. Adiri potest J. A. CRUSII tract. de nocte & nocturnis officiis cap. V.

Pictura Scholæ Palæo. Dresdensis

damna, quæ aut animum sequenti die perturbant, aut prorsus attentionis incapacem reddunt. Quin immo non inficias eundem, vigiliis multas plus diligentibus adferre impedimenti quam commodi. Discipulus totam sæpius traducens noctem lucubrando, perdit consequentis diei studium. Et qui non alacris est deinde ad munus discipuli, pro eo, ac debet obeundum, ille patitur jacturam majorem, quam percipit fructum.

§. X.

Hæc sunt pauca, quibus demonstravimus, quomodo discipulus Noctuam rite imitari possit. Nunc quoque nostrum foret docere, quam perverse illi amuleitur Noctuam, qui noctem Bacchanalia celebrando, Veneri inserviando & alio modo consumunt, & sæpe actionibus, quæ ne homini quidem sana prædito ratione conveniunt, nedum litterarum humanitate & pietatis principiis imbuto, deperdunt. Sed nolo pluribus verbis me ipsorum in præsentem exhibere censorem morum, quoniam in parte, quæ hanc sequitur sectionem, posteriori nobis de ipsorum damno differendi erit occasio. Hoc tantum admonebo, ejusmodi homines, qui primis tantummodo labris optimarum artium fontes gustare amant, cogi, potius in obscuro cum noctuis ita degere vitam, ut a nemine respiciantur, experientia magistra edoctos esse omnes.

§. XI.

Aream Noctuæ relinquo. Simulque cum Noctua studii partes, quæ animis discipulorum hacce pictura inculcantur, finirem, nisi Noctuæ non solum inimicus, sed

de studio.

sed reliquis etiam sese opponens volucrum, quarum in
præsentia fecimus mentionem, præceptis, Corvum pu-
to, me retineret. Qui nobis nunc quoque est confi-
derandus-

SECT. IV. DE CORVO.

§. I. de Corvo agit. §. II. Quid per CRAS sit intelligendum. §. III. Cor-
vinum CRAS discipulum a studio retinere & avocare potest. §. IV.
Quaedam proferuntur in medium de corvo proverbialia, quæ §. V.
in discipulum perverse notæ applicantur. §. VI. simulque medicina
contra pigritiam adfertur. §. VII. præsertim ex versu Corvo sub-
scripto discipulus instruitur, quomodo contra Corvi crocitantem se-
se gerere debeat. §. VIII. Totius tractationis sequitur finis.

§. I.

Ultimam tandem ad picturæ partem pervenimus, quam
figura implet Corvi crocitantis: CRAS! CRAS! CRAS!
Circa corvum nubes conspiciuntur, nivem minantes.
Præterea Corvus quasi clamans collo insistit. Ne au-
tem ejus crocitatione a studio discipulus avocetur, ne-
cessè est, ut verbis subscriptis studiose attendat:

*Non mihi, sed stulto placeat tua cantio Corve
CRAS, quæ hodie disco, discere non opus est.*

§. II.

Non optimæ famæ avis est, de qua nunc agendum no-
bis. Corvus indefinenter omnia crocitando destruere
cupit, quæ superiores a discipulo exigunt aves. Avis
est clamosa nihilque aliud sonare novit, quam CRAS!

Pictura Scholæ Palæo - Dresdensis

CRAS! CRAS! a) CRAS vero illud indicat negligentiam actionis, qua ex die in diem rejicitur. Negligentia officii discipulo impositi oritur ex amore otii, quod pulvinar dicitur satanæ. Quicumque utitur hoc pulvinari facile ad pigritiam rapitur. Exinde haud difficile est consideratu, quantum corvinum CRAS juveni, qui ad ejus inducitur imitationem, possit nocere. Ne autem discipulus Corvi crocicationi pareat, hic admonetur.

§. III.

Plerosque adolescentes pessima avium Corvus a diligentia cupit avocare. Sub nomine Corvi potius concipiendæ sunt pravæ cupiditates, quibus animus ad voluptatem aliaque vitia exinde manantia trahitur. Voluptas autem maxime allicit voluntatem ad res appetendas, quæ ipsi gratæ acceptæque videntur. Qui ex discipulis hunc malum sequitur corvum, ille subinde a studio sese convertit ad pigritiam, quæ se diverso in ipso exerit modo. Discipulus, qui lectionibus scholasticis parum interest, aut si scholam etiam frequentet, tempus tamen dormiendo, altercando, garriendo vel aliis nugis perdit, suos ad CRAS corvinum fingit mores. Ast

Linque coax ranis, CRAS CORVIS, vanaque vanis.
æclamabant veteres adolescentibus, qui sibi nimium indulgebant, hisque verbis ad sua celeriter peragenda officia invitare volebant, ne quando adolescentiæ lugerent florem:

O mihi præteritos referat si Jupiter annos!

Quili-

a) BOCHARTUS in Hieroz. P. II, libr. II, c. IX. seqq. CYPRIANUS l. c. p. 1174. seqq.

de studio.

Quilibet ergo in animum inducat diu noctuque curam
agere, ut nulla dies abeat sine linea.

§ IV.

Plura inhaerent porro vitia Corvo. Cadaveribus in-
hiat, rapinam petit, furax est. Quæ vitia in causa sunt,
cur avis appelletur diabolica. b) Multis quoque hæc
vitia præbuerunt ansam adagiis, quæ ad dissolutorum
hominum mores applicantur. Unum alterumque,
quod maxime huc spectat, proponere, non erit alie-
num. Homo, qui ad nefanda vitiorum scelera com-
mittenda sese promptum atque paratum exhibet, ap-
pellatur *avis diabolica*: ein Teuffels = Vogel. De
homine ad furandum valde proclivi prædicatur: Fu-
racior est Corvo er stiehlt ärger als ein Rabe, vel
furax est Corvus er ist ein rechter Diebs = Rabe vel
Diebs = Vogel instar adagii, quod de callido quodam
homine dicitur: *Es ist ein listiger Vogel*. Præte-
rea de homine res suas negligenter observante pro-
verbium celebratur: *Corvinum CRAS canit vel amat*:
Er liebt den Raben = Gefang. c) Pari modo disci-
pulus pigritiæ addictus in commemoratis vitiis a Cor-
vo aut parum recedit aut ipsum luperat.

§ V.

Præcipue discipulus ignavus se Corvo triplici modo
præ-

- b) *conf. CYPRIANUM. l. c. p. 118E*
c) *CYPRIANUS ibid. p. 117S.*

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

præstat simillimum. Primo pecuniam aufert parentibus. Parentibus integerrimo amore liberos amplectentibus maximæ est curæ liberorum educatio atque salus. Ut utrumque feliciter procedat & promoveatur, mittunt liberos in scholam, eosque committunt Præceptorum disciplinæ. Nullis parcunt sumptibus, qui ad commoda ipsorum promovenda requiruntur. Libros liberis comparant, qui ad ipsorum sunt necessarii institutionem, nihilque omittunt eorum, quibus liberos politiores & cultiores fieri posse arbitrantur. Sed qui negligit scholam, librisque rite non utitur, parentibus quasi furto subtrahit pecuniam. Secundo pigritiæ deditus perdit tempus rem omni auro pretiosiorum. Obedientia, quam piger perverfis præstat adfectibus, animum in summum studiorum contemptum præcipitat, ut ante flos ætatis pereat, quam ipse de studio studiis impendendo serio cogitaverit. De his valet illud:

CRAS CRAS & semper CRAS sic elabitur ætas.

Genuino enim discipulo præsertim adolescentiæ temporis ratio est habenda, quia fugit & nunquam redit. Diligenter ipsi *SENECÆ* d) verba sunt perpendenda: *Turpissima, inquietis, jactura, quæ per negligentiam fit.* Et audias quæso *BUCHNERUM* e) de hac re differentem: *Occasionem arripiamus, & utamur tempore, quod semel amissum revocari non potest. In modum fluminis, labitur: ad instar somni effugit: ejusque celeritatem tum intelligimus demum*

d) *Epist.* 1. & 109.

e) *Dissert.* XI, Vol. I.

de studio.

denum, quum jam ab eo relictus sumus. Quid comperendina-
mus itaque bona studia? Quid in futurum rejicimus nostras
spes? meliora prætervolant, deteriora sequuntur. Ve-
lut in vino, ita & in ætate nostra bonum maxime, quod pri-
mum abit.

Optima queque dies miseris mortalibus ævi

Prima fugit.

Maximus vates canit. Id ergo sacri oraculi instar subinde ob-
versetur animo, & excitet eum, ut dum adhuc facilis atque
tractabilis est, ad meliora convertatur. Dum genua virent,
dum, ut ille ait, juvenus ridet, incumbendum bonis litteris
est. Id enim tempus ferendis laboribus, id exercendis inge-
niis pariter atque corporibus idoneum maxime &c. Deni-
que præteritis pueritiæ annis impensisque multis fru-
stra insumtis, sero juvenis comperit, se parum aut
modice didicisse & oleum & operam cum parentes tum
præceptores in ipso perdidisse. Tunc culpa non pa-
rentibus atque præceptoribus est tribuenda, sed sibi i-
psi. Qui autem symbolum eligit: Nihil procrastinan-
dum, feliciores faciet in litteris profectus.

§. VI.

Ne quis vero in tantam ruat perniciem omni cura id
agendum est, ut mature in viam redeat, & ab otio ad
laborem a negligentia ad studium convertatur.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis. f)

F

Hinc

f) Inquit LUCANUS libr. I. Pharsalicorum,

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis

Hinc sibi quotidie subjicere atque apud animum proponere debet, quem in finem scholæ constitutæ fuerint, quam necessaria, quam utilis discipulo sit diligentia, quam perniciosa & noxia contra pigrities & negligentia. Cavendum præterea ipsi est, ne falsa eruditionis persuasione in ignorantia confirmetur. *Mul- ti enim potuissent ex sententia Sapientissimi SENECÆ g) ad sapientiam pervenire, nisi putassent, se peruenisse.* Negligentia igitur otium, pigritia, ignorantia, falsa eruditionis persuasio sunt veluti Corvi, qui suo impetu a studio omni omnes discipulos abstrahere cupiunt. Quibus hostibus non alia re, nisi diligentia unusquisque se alacriter, si modo nomen boni discipuli tueri cupit, opponere potest.

§. VII.

Versus, qui Corvo subjicitur, ostendit, quomodo munus respondentis fuscipere possit discipulus, si Corvus crocitando personam agat opponentis. Corvi clamorem ex imis faucibus velut articulate productum: *CRAS! CRAS! CRAS!* refutabit discipulus & sermone & moribus bonisque actionibus. Respondendum autem est Corvo *CRAS!* clamanti: *Non equidem ex ordine sum eorum, quos inconditus clamor tuus Corve a recto studii tramite in viam pigritiæ alligere possit. Mibi certe habeo persuasum, fore, ut minime attingam veram eruditionem meamque felicitatem, si voce tua moveri me paterer, sed ex aliis, qui officio*

g) *in Libr. I. de tranquillitate animi.*

de studio.

officio discipuli non pro eo, ac debuere, satisfecerunt, probe intellexi, quantum jam damni tulerint. Et utinam illi protinus ad meliorem redirent mentem, ne quando negligentiae suae poenam luant. Qui adolescentiae simulque futurae salutis non ducunt rationem, sed, quemadmodum histriones in teatro tempus nugis, ita garriendo in scholis bonas perdunt horas, stolidissimi profecto nec sana mente praediti sunt. *Stulto* sunt similes, qui accepto damno sapit. *Mihi non placeat tua cantio.* Namque videris mihi ista cantione instar vatis, qui delirio ductus praedicere cupit futura, de quibus nihil certi constat, & eventu rerum fallitur in suo vaticinio. *Corne,* quem locum tenet graculus inter Musas & anser inter olores, eundem te obtinere existimo inter adolescentiae doctores. *CRAS* an sim viclorus, ignoras, atque nescis *apruone* *sim* *crastina* luce ad id futurus, quod hodie mihi officium demandat discipuli. Res mea nullam patitur comperendinationem. Quantum potuero meis ipse consulam partibus. *Quae hodie discio,* ipsorum emolumenta posterior mihi dies promittit. *CRAS* tuum *discere,* discipulo non opus est. Vale igitur cum cantione tua & *CRAS* illud tibi soli reserva. *CRAS* discipulo non prodest. Et enim.

*Quidquid discipulus teneris non discit in annis
Id nunquam discet, semper ineptus erit.*

§. VIII.

Hæc sunt, quæ nobis fuerunt de volucris hisce dif-

PK Ya 3323

Pictura Scholæ Palæo-Dresdensis de studio.

ferenda, quibus B. *AUTOR* hujus picturæ *studium* discipulo commendare & cuique ex juvenibus, qui studiis olim felices esse cupiunt, illisque reipublicæ vel literariæ vel ecclesiasticæ officia præstare saluberrima, voluit inculcare. Terque quaterque beatus ille erit æstimandus, qui præcepta huic picturæ adjecta quotidie secum perpendet, ipsisque prompte obediet, ipse profectus studii exoptatos sentiet, ipsosque, qui pigritia ducti in ignorantia permanent, dabit in ruborem. Quicumque igitur adolescentes bonis faustisque successibus in litterarum studia incumbere cupiunt, in hanc tabulam oculos animumque conjiciant & ex ea tanquam Magistra, quid sit *studium* discant. Præsertim cognoscant, has virtutes, quæ hic de Gallo, Coturnice & Noctua commemorantur, a quovis esse quam diligentissime exercendas, Corvi autem excitationem abominandam, si modo studiorum initium velint esse felix, progressum feliciorum & felicissimum

F I N E M.



2072

ULB Halle 3
008 300 305



m.c.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

TABULA NOTATU DIGNA,
QUAM

BIBLIOPOLUS CHRISTIANUS HILSCHERUS,

BIBLIOPOLUS, ET DE ECCLESIA QUONIAM
MAGISTRIS DRESDÆ PASTOR MERITISSIMUS.

IN

BIBLIOPOLIA VETERIS DRESDÆ

ADFIGENDAM CURAVIT,

IPSAQUE

DISCIPULI

STUDIIUM

QUATUOR AVIBUS
SCILICET COTURNICE, NOCTUA ET CORUO,
INDICARE VOLUIT,
EXPLICATA ET IN LUCEM EDITA

FRID. CHRIST. HILSCHERO.

DRESDÆ,

CHRIST. HILSCHERUM BIBLIOPOL. REG.
MDCCXXXIV.

